



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Dionysii Carthusiani, luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis siue commentaria**

**Dionysius <Cartusianus>**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 D 1926**

explanatio 16 ca. peruenit autem i[n] Derben ar. 16

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38702**

ducerent, dum in pluribus locis ac gentibus, verbū dei disseminarent. Vterq; etiam ex rationabili mouebatur motiuo, nec quicquam proprii commodi quispiam eorum quærebat, sed bonum commune, nec enim ex impatentia aut simili passione, sed ratione dictante separabantur. Vñ scd'm doctores paci atq; concordia, aliqui non repugnat qd aliqui in duobus discordant, dum mō in vno tertio sint concordēs. Et sic fuit in isto. Nā & Paulus & Barnabas concordabant in hoc, vt id fieret, qd fuit magis pro dei honore, & Euangelicæ p̄dicationis profectu. ita vt discederent ab inuicem. Et Barnabas quidem Assumpto Marco nauigaret Cyprū de qua fuerat natus. Dicit aut hoc loco Scholastica historia. Ex eo quod Barnabas noluit Marcum dimittere, perpenditur fuisse eius cognatus, leguntur enim fuisse consobrini, iuxta illud ad Coloss. Salutatur vos Aristarchus, & Marcus consobrini Barnabæ. ¶ Paulus autem electo Sylea ¶ in adiutorem & comitem ¶ profectus est Jab Antiochia ¶ traditus ¶ i. oblatu seu commissus ¶ gratiæ dei ¶ tanquam fortissimo adiutorio, sine quo nihil valebat ¶ a fratribus ¶ Antiochenis pro ipso deuotissime interuenientibus ¶ Perambulabat autē Syriam & Ciciliam cōfirmans ecclesiam ¶ i. fideles, quoscunque inuenit, præcipiens eos custodire p̄cepta Apostolorum & seniorum qui in Hierusalem erant, & aliqua pro fidelium salute instituerunt seruanda, sicut in præsentī capitulo de quatuor punctis inductum est.

Colos. 4.

¶ Expositio capituli sextidecimi. Peruenit autem in Derben & Lystram.

Articulus sextus decimus.

**A**B hoc loco vsque in finem voluminis prosequitur sanctus Lucas prædicationes, actus, atque miracula Pauli Apostoli. ¶ Peruenit autem ¶ Paulus cum Sylea ¶ in Derben & Lystram ¶ ciuitates prouinciæ Lycaoniæ. ¶ Et ecce discipulus quidam erat ibi ¶ scilicet in Lystris ¶ nomine Timotheus ¶ iam Christianus effectus ¶ filius mulieris viduæ ¶ nam pa-

ter eius fuit tunc mortuus [fidelis] quia natione fuit  
 iudæa, religione vero Christiana, quemadmodum, &  
 ad Timotheum scribit Apostolus, alloquens Timothe-  
 um. Recordationem accipiens fidei quæ est in te non fi-  
 citæ, quæ & habitauit primum in auia tua Loyde, & ma-  
 tre tua Eunice [pater gentili] pater enim ipsius fuit  
 gentilis. Iudæi namque dispersi vicissim cum alienige-  
 nis cōtraxerunt [Huic] utpote Timotheo [testimoni-  
 um bonum perhibebant, qui in Lystris erant & Iconio  
 fratres] .i. in vrbibus illis. [Hunc voluit Paulus secū  
 proficisci] Vidit enim quod idoneus esset, & alijs præ-  
 sidere ac prædicare, magnumque secum fructum affer-  
 re. Veruntamen in Scholastica fertur historia, quod  
 primo fecit eum episcopum fidelium in Lystris manen-  
 tium, postea duxerit eum secum. [Et assumens circum-  
 cidit eum, propter Iudæos qui erant in illis locis] ne  
 scandalizarentur, habendo episcopum non circumci-  
 sum, seu intuendo quod Iudæus incircumcisus iret &  
 prædicaret cum Paulo. Illa autem circumcisio, quam-  
 uis non fuit necessaria, tamen licita fuit, ad remouen-  
 dum scandalum pusillorum. Legalia enim tunc ad tem-  
 pus poterant a Iudæis conuersis seruari, dummodo spem  
 in illis non ponerent, paulatimque non subito erant  
 tollenda, & quasi cum honore, mater Synagoga sepeli-  
 enda [sciebant enim omnes, quod pater eius gentilis  
 erat] Ideo non permisit suum filium circumcidi, quod  
 & Iudæis illis innotuit [Cum autem ptransirent ciuita-  
 tes] Paulus, Syleas, & Timotheus [tradebant eis] .i.  
 Christianis, in vrbibus illis morantibus cōmiserunt [do-  
 gmata quæ erant decreta] seruari [ab Apostolis & seni-  
 oribus qui erant Hierosolymis] quæ tanquã principalissi-  
 mi, cæteris certa documenta seruanda sanxerunt ac in-  
 sinauerunt [Et ecclesiæ quidem] particulares per diuer-  
 sas puincias [confirmabantur in fide] quæ tunc præcessa-  
 ria fuit, imo & cunctis virtutibus principaliter a spiri-  
 tu sc̄to ministerialiter vero ab Apostolis, adiutoribus  
 que ipsoꝝ [ & abundabant numero quod die] ita quod oī  
 die plures cōuertebant ad fidē. [Transcuntes aut Phry

2. tim. 1

I N A C T. A P O S. E X E G.

giam. ¶ prouinciam Asiae & Galatiae regionem. ¶ etiam Asiae, dicitur Beda Galatia prouincia Asiae a Gallis uocabulum trahens, qui in auxilium a rege Bithyniae euocati, regnum cum eo, facta victoria diuiserunt, & ita deinde Graecis admixti, primo Gallograeci postea Galatae sunt uocati. ¶ uetiti. ¶ i. prohibiti. ¶ sunt a spiritu sancto. ¶ per reuelationem internam seu alio modo. ¶ loqui uerbum dei in Asia. ¶ Cur hoc? Forte quia spiritus sanctus prauidit Asianos tunc non credituros, ideo ne grauius caderent prohibuit eis praedicari. Vel quia alteri Apostolo puta Ioanni hanc instruendam seruauit prouinciam. ¶ Cum autem uenissent Mysiam. ¶ quae est prouincia Asiae, & nunc Colis uocatur. Est autem & altera eiusdem nominis in Europa Mysia superior, quae nunc Bosna uocatur, & inferior, quae Bulgaria, ubi Danubius Euxinum Pontum influit. ¶ tentabant ire Bithyniam. ¶ Bithynia est nomen prouinciae Asiae minoris, & item ciuitatis in ea. ¶ & non permisit eos spiritus Iesu. ¶ illic ire ad praedicandum, eisdem rationibus, quae de praedicti prohibitione sunt assignatae. Nam & Lucas post in Bithynia praedicauit. ¶ Porro spiritus Iesu, est spiritus sanctus, de quo ait Apostolus: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Appellaturque demum spiritus sanctus, spiritus Iesu seu Christi, quia ab ipso secundum suam diuinam naturam procedit, atque in ipso secundum naturam humanam plenissime requieuit ac requiescit, iuxta illud Esaiae. Spiritus domini super me, eo quod unxerit me. ¶ Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem. ¶ ciuitatem Asiae maritimam quae & Antigoniam est uocata. ¶ & uisio per noctem Paulo ostensa est. ¶ Ista fuit imaginaria uisio, & facta uidetur in somno. Deinde uisio ipsa describitur. ¶ Vir quidam Macedo. ¶ i. effigies uiri Macedonis, uel secundum Bedam & Scholasticam historiam angelus gentis illius, in similitudinem uiri huiusmodi. ¶ erat stans de praecursu. ¶ s. Paulum. ¶ & dicens. Transiens in Macedonia adiuua nos. ¶ ad consequendam salutem. Certum est quod imagines res istae & uerba interna, angelico ministerio formabantur in vi

Rom 8.

imaginatiua sancti Pauli, sicut in prophetis visionibus  
 fieri consuevit. ¶ Ut autem visum vidit, ¶ spiritualiterque  
 intellexit, ¶ statim die facto, ¶ quæsiuimus proficisci in  
 Macedoniam, certi facti, quod vocasset nos dominus  
 Euangelizare eis. ¶ Hoc loco Lucas primo connumerat  
 se socijs Pauli. Macedonia autem est prouincia Græcię  
 nobilissima, & virtutibus Alexandri magni nobilior  
 facta. ¶ Nauigantes autem a Troade recto cursu veni-  
 mus Samothraciam, ¶ quæ est Egei maris insula, in Pa-  
 gaseo sinu, ¶ & sequenti die Neapolim, ¶ Ciuitas est Ca-  
 rię, quæ est prouincia Asię, ¶ & deinde Philippis, ¶ quę  
 est ciuitas in prima parte Macedonię a Philippo rege  
 patre Alexandri magni nomen sortita, cuius fidelibus  
 missa est epistola Pauli quæ ad Philippenses intitulatur  
 ¶ quæ est prima pars Macedonię, ¶ quia primo oc-  
 currit intrantibus Macedoniam ab ea parte, qua Paulus  
 de mari egrediens, eam ingressus est, ¶ ciuitas colonia, ¶  
 Dicitur autem colonia ciuitas, quæ defectu indigenarum  
 nouis impletur habitatoribus atque cultoribus. Vnde a  
 cultu agri, colonia dicta est. ¶ Eramus autem in vrbe  
 hac diebus aliquot conferentes, ¶ cum ciuibus vrbis in-  
 stituit. ¶ Die autem sabbatorum egressi sumus foras  
 portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse, ¶ quia  
 ibidem quædam personę confluxerant ad supplican-  
 dum, siue loquendum. Orare enim vtrumque significat.  
 Locus quoque ille videbatur aptus ad hæc. ¶ Et seden-  
 tes loquebamur mulieribus quę conuenerant. Et quæ-  
 dam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyathi-  
 renorum, ¶ .i. hominum de vrbe nomine Thyathira, quæ fuit  
 vrbs Lydię, prouincię Asię, de qua Apocal. 2. habet, an-  
 gelo Thyathirę ecclesię scribe. De qua vrbe fuit hæc  
 Lydia oriunda, sed in Philippis manebat. Dicit autem pur-  
 puraria secundum Bedam, quia venditrix purpurę, vel secundum  
 alios, quia texitrix illius, ¶ colens deum, ¶ vterque quæ vnus est,  
 iam enim fuit vt legitur de gentilitate ad Iudaismum con-  
 uersa, ¶ audiuit, ¶ Verba nostra, ¶ cuius dominus aperuit cor inten-  
 dere his, quę dicebant a Paulo, ¶ Homo enim forinsecus mo-  
 net auditum, sed nisi deus intus mentem tangat atque illu-

I N A C T A A P O S. E X E G.

minet, inanis est strepitus. Ideo ait Saluator . Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum . L Cum autem baptizata esset ipsa, & domus Jid est soboles seu familia L eius, deprecata est dicens. Si iudicatis me fidelem esse domino Jid est, veraciter Christianam L introite in domum meam & manete J ibidem ad libitum L & coegit nos J ex quibus constat quod opulenta fuit grata & multū deuota . L Factū est autē euntibus nobis ad orationem Jid est, locum ad hoc aptum L puella quandam habētem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ magnum quęstum præstabat dominis suis diuinando J Appollo qui & pytho, vel phyto inuentor fuit cuiusdam diuinationis, qua veritas a mortuis inuestigatur, per suscitationem defuncti præstigialem, vela viuis, qui reuelante diabolo secreta seu futura denūciant, & viri hæc facientes seu taliter diuinantes Pythones, a Pythone Apolline, mulieres autem Pythonissæ vocantur . Et iuxta primum modum, dicitur mulier Pythonissa, de qua primo Regum scribitur Saul petisse suffragium, Sed iuxta secundum modum hæc puella Pythonissa asseritur, quæ diuinando, id est, futura aut secreta ex dæmonis reuelatione pandendo, magnum quęstum, id est, lucrum contulit dominis, quorum ipsa fuit aucilla, quæ p precio ad interrogata respondit. Præterea sicut in Scholastica historia dicitur, dupliciter intelligi potest ista puella fuisse Pythonissa, primo quia per spiritum Pythonis operabatur arte magica, sicut mulier illa primo Regū, q̄ p magicam artem fecit dæmonem apparere in similitudine alicuius defuncti ad dandum de occultis responsum. Secundo quia spiritu Pythonico vexabatur, sicque aliqui asserunt eam Pythonissam fuisse atque obsessam nam dæmon habitauit in ea, dans per ipsam responsa . Quæritur quomodo puella ista habuit spiritum Pythonem . Et respondendum, quod per spiritum Pythonem, intelligi potest diabolicus spiritus, per artem a Pythone Apolline inuentam euocatus, apparens siue cooperans atque respondens . Vnde primo Regum scribitur Saul dixisse.

1. Reg. 28.

1. Reg. 28.

Quærite mihi mulierem habentem Pythonem . De  
 hac autem diuinatione loquitur Thomas in secunda se-  
 cūda, q̄st̄iōe .95. [Hæc subsequuta Paulū & nos clama-  
 bat dicens . Isti homines serui dei excelsi sunt , qui an-  
 nunciant vobis viam salutis ] videlicet , Euangelicam  
 legem , & diuinorum præceptorum custodiam , seu fi-  
 dem catholicam , quæ omnia sunt via ducens ad salu-  
 tem æternam seu Christum qui ait . Ego sum via . Et  
 nemo venit ad patrem nisi per me . [ Hoc autem faci-  
 ebat multis diebus . Dolens autem Paulus ] de pericu-  
 lo & infestatione puellæ [ conuersus ] vultu ad puellam  
 retro se vociferantem [ dixit spiritui . Præcipio tibi  
 in nomine Iesu Christi , exire ab ea ] quia indignum  
 fuit , vt verbum Euangelij spiritus nunctaret immū-  
 dus , ideo quoque iussit eū exire , ne qui eum audierunt  
 vera loquentem , crederent postea mendacia proferēti .  
 Veris enim falsa admiscere dæmones consueuerunt .  
 Vñ hoc facto Paulus imitatus est Christum qui vt Mar-  
 ci primo habetur , dæmoni dicenti , scio quia sis sanctus  
 dei , dixit . Obmutesce & exi de homine . Quæritur  
 quo impellente loquutus est dæmon aduersarius hu-  
 manæ salutis verba memorata , de Paulo eiusque socijs  
 Et respondendum secundum quosdam , quod bono na-  
 turæ hæc dixit , quia naturæ consonum est , verum cog-  
 nitum confiteri . Alij dicunt , quod cogente spiritu san-  
 cto hæc protulit . Ait namque circa hoc Beda . Non  
 voluntatis ista confessio est , quam sequitur præmium  
 confitendi , sed timore spiritus sancti cogente , vera  
 spiritus mendax loquitur , non ausus luce præfente  
 suas vltra celare virtutes In psalmo . 49 . Peccatori  
 autem dixit deus . quare tu enarras iusticias meas . Ve-  
 rum contra hoc obijciunt quidam , quod dictum est . Do-  
 lens Paulus scilicet , de illo clamore , non enim doluisset  
 de eo , quod a spiritu sancto factum fuisset , nec illud im-  
 pediisset , Sed illa instantia faciliter soluitur . Nempe  
 quod dicitur , dolens autem Paulus , non oportet ad ve-  
 ritatis illius protestationem referre , sed ad calamitatē  
 puellæ . Rursus et si de protestatione veritatis per

Ioann. 14.

IN ACTA APOS. EXEC.

dæmonem facta dolebat, hoc non fuit in q̄rum ibi fuit enuntiatio veri, sed in q̄tum id mala itentiōe fiebat, & ne yitati spūs neq̄ e indē falsa misceret. ¶ Videntes aut̄ dñi eius Jputa puellæ ¶ q̄d exiit spes quēstus eorum. ¶ .i. amplius fiduciam non haberent solita lucra obrinendi per diuinationem suæ ancillæ ¶ apprehendentes Paulum & Syleam, perduxerunt in forum ad principes. ¶ q̄rum fuit iudicare impios & punire ¶ & offerentes eos magistratibus, dixerunt. Hi homines conturbant ciuitatem nostram. ¶ .i. conciuēs ¶ cum sint Iudæi ¶ q̄ contra Romanorum censuram, prohibent deorum culturam ¶ & annunciant morē. ¶ .i. nouum ritum colendi deum Christum ¶ quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. ¶ .i. Romanis confæderati ac subditi. Iam enim ordinauerunt Romani ne sine approbatione Senatus aliquis de nouo deus diceretur aut coleretur. ¶ Et concurrunt plebs aduersus eos & magistratus. ¶ cito credentes omni spiritui ¶ & scissis tunicis eorum ¶ tanquam hominum pessimorum et vilium ¶ iusserunt ¶ magistratus ¶ virgis eos cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem. ¶ In hac punitione fecerunt contra Romanos, sicut infra dicitur ¶ præcipientes custodi, vt diligenter eos custodiret ¶ tanquam valde damnabiles. ¶ Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem. ¶ qui fuit forte profundior, pœnalius, & inconfringibilior ¶ & pedes eorum strinxit in ligno ¶ ne quoquam modo effugerent. ¶ Media autem nocte Paulus & Syleas, adorantes laudabant deum ¶ in tot aduersitatibus gratias cum gaudio referentes, iuxta quod legitur. Media nocte surgebam ad confitendum tibi ¶ & audiebant eos q̄ in custodia. ¶ .i. in carcere ¶ erant ¶ quod tam alacriter deum laudarent. ¶ Subito vero terræ motus factus est magnus ¶ non vbiq̄ue, neque a causa naturali, sed vbi fuerunt detenti, & a virtute angelica ad demonstrandum sanctitatem & virtutē orationis istorū. Propter quod ait Beda. Deuotio Aposto-

psalm. 118.



lici pectoris, & virtus orationis exprimitur, dum & illi hymnos in imo carceris cecinerunt, & eorum laus terram commouerit, carcerisque fundamenta concusserit, & aperuerit ostia, atque ipsas postremo vinculatorum catenas resolverit. Hinc subditur, ¶ ita ut mouerentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum. ¶ non Pauli & Syleæ duntaxat, sed omnium qui erant in carcere, qui meritorum participes facti sunt apostolorum sanctorum ¶ vincula soluta sunt ¶ potestate angelica ac diuina. ¶ Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas carceris aptas, euaginato gladio volebat se interficere ¶ præ tristitia & dolore ¶ æstimans fugisse vinctos ¶ & ob id morte substantiaue puniendum se reputans ¶ Clamauit autem Paulus voce magna dicens, Nihil tibi feceris mali, vniuersi enim huc sumus. ¶ Spiritu reuelate, vidit in mente quid carceris custos incepit, cuius damnationi compatiens, affectuosissime clamauit ¶ Petitoque lumine ¶ a ministris suis ¶ ingressus est, & tremefactus ¶ de effectibus tam miraculosis ¶ procidit Paulo & Syleæ ad pedes ¶ sanctitatem & virtutem eorum admirans, honorans, imitarique cupiens ¶ & producens eos foras ¶ .s. extra carcerem, in quo patet, quod amor apostolorum abstulit ab eo timorem principum suorum, contra quorum edictum eduxit apostolos, imo & amor veræ salutis ad hoc ipsum induxit, nam subditur ¶ ait. Domini, quid me oportet facere vt saluus fiam? At illi dixerunt, crede in dominum Iesum ¶ deum & hominē, in quem creditur secundum quod deus est, Propter quod dixit apostolis. Creditis in deum, & in me credite. Porro in Iesum credere, est charitate & opere fidem ornare ¶ & saluus eris tu & domus tua ¶ id est, domestici tui, tuū sequendo exemplum. ¶ & tollens eos ¶ id est, ad meliora domus suæ loca introducens eos ¶ in illa hora notis lauit plagas eorum ¶ corporales, vt lauarentur ab eis suæ plagæ spirituales ¶ & baptizatus est ipse & omnis domus eius continuo, ¶ Non dubium quin ante baptismationem hanc apostolus prædicauerit illis diffuse,

Iohan. 14

IN ACTA APOS. EXEG.

Mar .2.

de mysterijs fidei Christianæ. Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam. Ad corporalem refectiōem, a quibus mente fuit refectus, Nec indecens fuit apostolis tam mane seu ante auroram comedere, qui flagellis ac carcere fuerant extenuati. Necessitas quippe, impossibilitas, & infirmitas legem non habent. & lætatus est cum omni domo sua. De sua conuersione, apostolorum sanctitate, & quod se gladio non inuasit. Similiter omnes domestici sui sunt gauisi. Et cum factus esset dies miserunt magistratus lictores. I. s. nuncios ad custodem carceris. dicentes. Dimitte homines illos. Cur hoc nunciauerint in textu non dicitur, verum in Ecclesiastica historia legitur, quod ideo ne plures crederent, quia miraculum præscriptum iam eis innotuit. Vel ut alij dicunt, passionis impetu, quo iniuste punierunt apostolos iam sedatos, aduertunt se iniuste fecisse. Nunciauit autem custos carceris verba hæc Paulo. Tanquam principatori. quia miserunt magistratus ut dimittamini. & inde gauisus est custos, cernens nullum sibi instare periculum, quod eduxisset illos de carcere. Nunc ergo exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit. Cæsos nos publice indemnatos homines Romanos, miserunt in carcerem. quasi dicat, In hoc multipliciter excesserunt, quod homines innocentes quasi maleficos publice flagellari fecerunt, & sine iusto iudicio incarcerauerunt, ex vehementia passionum suarum, cum simus Romani. Paulus enim fuit ciuis Romanus, non quasi ibi natus, sed quia ciuitas illa, patri eius fuit collata pro seipso, suisque filijs, ut infra dicitur. Quomodo autem Syleas fuit Romanus, non est adeo certum, sed in Scholastica historia ita habetur, Romanos, id est, subrektionem professos Romano imperio, capitis censu puta denario qui super caput ponebatur, ab his qui se Romano imperatori profitebantur subiectos, atque Romana libertate donatos. & nunc occulte nos efficiunt. in quæ romanæ ciuitati derogauerunt, & contra romanorum egerunt decreta, quæ sunt sancita, nullum damnari nisi locum ex

cusatiōis accipet. Nō ita, sed veniāt, & ipi nōs eiciāt, ]  
 Nō ex ipaciētia, sed zelo iustitiæ dixit Pau. & ne ī ipso  
 ac suis scādalarētur, atq; a fide suscipiēda, impedirent  
 pūilli. Et itē. vt sicut fuit publica punitio, sic esset & ma-  
 nifesta ereptio, vt veritas cunētis pateret. ] Nūctauerūt  
 autem liētores magistratibus verba hęc, ] Timuerūt-  
 que audito quod Romani essent ] Formidabant enim  
 de his apud Romanos accusari atque affligi ] Venien-  
 tesque deprecati sunt eos ] vt sibi ignoscerent, quia p  
 ignorantiam hęc fecissent ] & educētes rogabant eos  
 vt egrederentur ] de vrbe ne in ciuitate oriretur dis-  
 sentio, propter eorum præsentiā & doctrinā ] Ex-  
 euntes autem de carcere introierunt ad Lydiam ] pri-  
 mo tamen de carcere ingressi fuerunt domum custodi-  
 ipsius. Nam fēmina hęc de apostolorum iniusta perse-  
 quutione fuit plurimum contristata, quod Paulus in se-  
 ipso perpe- ens, accessit ad eam cum suis gratia conso-  
 lationis, mirabilia dei quæ contigerunt insinuans ei, ip-  
 samq; in fide confortans ] & visis fratribus ] videlicet  
 Christianis quā in hac vrbe fuerunt ] consolati sunt  
 eos, & profecti sunt.

Expositio capituli septimidecimi.

Cum autem perambulassent.

Articulus decimusseptimus.

**C**um autem perambulassent Amphipolim ] vrbe  
 s. Macedoniæ sic vocatam ] & Apolloniam ]  
 quæ & ipsa est ciuitas Macedoniæ, & est alia  
 in Aphrica, quæ vocatur Pentapolis ] peruenerūt  
 Thessalonicam ] Macedoniæ vrbem ] vbi erat Synago-  
 ga Iudæorum ] Iudæi enim ibidem manentes, in vr-  
 be illa domum, in qua ad colendum deum confluebant,  
 habebant, Et sicut ecclesia interdū pro congregatione  
 Christianorum, interdum pro materiali templo acci-  
 pitur, ita & Synagoga nūc pro collectione Iudæorum,  
 nunc pro materiali eorum suscipitur templo. Vnde a-  
 apud Lucam dicunt Iudæi de centurione ad Christum,  
 Synagogam ipse ædificauit nobis ] Secundum consue- Luc. 7.